


Michael

Cantelli Francisci Felix sagittae Dziatyn anae ad immortalitatis metam impetus.

FELIX
Sagittæ Działynſcyanæ,
AD
Immortalitatis metam,
IMPETVS.
Ad Iuſta Funebria,
Illuſtriſsimi olim, & Excellentiſsimi Domini,

D. MICHAELIS
à DZIAŁYN
DZIAŁYNSKI,
Palatini Culmenſis, Coualouienſis &c. &c. &c.
CAPITANEI.
DVM
Magni Spiritûs eius exuuiæ,
Vltimo pietatis Chriſtianæ obſequio,
tumularentur;
A
FRANCISCO CANTELLI,
Philoſophiæ & Eloquentiæ in Vniuerſitate Cracouienſi, Auditore,
dolenti calamo & obſequio
DEMONSTRATVS.
Anno Domini 1687. Die 10. Iunij.

CRACOVIÆ,
Ex Officina Franciſci Cezary, S. R. M. Illuſtriſs. ac Rndiſs. Dñi. Epiſcopi Crac: Ducis Seueriæ, Necnon Schol. Nouoduorſc. Typogr.

IN GENTILITIUM INSIGNE, *ILLUSRISSIMÆ DOMUS*, DZIAŁYNSCYANÆ.



DZIAŁYNIAM rapidè, sursùm volitare SAGITTAM,
Non mirare ; etenim, serpere nescit humi.
Ocyùs, astriferas è terra tendit in oras,
Nam viles metas, nauseat illa soli.
Hinc frustra Stygias mittis Libitina SAGITTAS;
DZIAŁYNI Iaculo, spicula nulla nocent.

Illustrißimis & Magnificis Dominis,

D. STANISLAO DZIAŁYNSKI,

Kiſzauienſi &c.

D. CAROLO DZIAŁYNSKI,

Lancorcenſi &c.

CAPITANEIS,

Palatinit. Culmenſibus,

Patronis Dignisſimis.



Ngentem doloris magnitudinem, Mæſtißima pectora Veſtra aggrauantem, nemini quidem iuſtis lachrymarum lymphis exæquare, aut lenire aliquo temperamento, conceſſum eſt: tamen Illuſtrißimo Parenti Veſtro, Vos parentantes aſpicere Vultu non rorido; Vix humanum eſſe cenſui. Illuſtriſſimi & Magnifici Domini. *Quidni luctari debeant heroica pectora Veſtra cum atrocißimo dolore? cùm vnicum ſolatiorum Veſtrorum incrementum, animorum delicium, vitæ honorumq́ norma, auguſtorum operum idea, dulcißimus Genitor, cordibus Veſtris ereptus ſit. Intenſus certè animi Veſtri mœror; quia fortis vt mors filialis dilectio Veſtra, cùm Illuſtrißimum ſuum Parentem à ſe diuiſum experiatur, etiam corde non ſcindi, prodigium exiſtimaret. Optimi aureiq́ Patris, verè optimi & aurei Filij; nouo Boleſlai exemplo, iam non imaginem Genitoris, ſed ipſum in pectore viuum geſtare deſiderio flagrabatis. Sed & nunc præter Votorum Veſtrorum placitum, cùm vitæ ſtamina, nulli parcentes Parcæ illi præcidiſſent; & Vos cum Artemiſia in vobiſmet ipſis Mauſoleum, dulcißimo vitæ Auctori, certè meliori adhuc ingenioſi amoris Veſtri inuento extrueretis. Non mitigat etiam, ſed accumulat luctûs materiem, orbata ſuo Marte & Conſo*

Conso Polona Respublica: pro qua fulcienda, infractæ fortitudinis Hercules, cessauit Gentilitias Manus extendere: cessauit et insultantes hostium cateruas profligare: cessauit plùs quàm Catonis grauissima Oracula fundere. Profectò maximum doloris pondus: nasci enim Herôas, rarà sæculorum felicitas est; quidni eripi eos doloris excessu constet? Ac potissimùm hoc tempore, quo nos tot malorum balistis fata perurgent; tot ærumnarum farragines circumstant; vt vix Sisypheæ huic malorum moli, tot Atlantes sufficiant. Lethale tot amantium cordibus inflixit vulnus Libitina; cùm Corculum Sapientiæ, ictu suo prostrauit. Ferales deuinctorum mentibus, iniecit compedes; cùm furore suo, tantum Mecænatem eripuit. Vtinam nobis adhuc Pylio prolixior æuo, fausliores soles numerasset: vtinam è votis eius, compos votorum suorum Patria extitisset: vtinam grandis Aquila Pullos suos Nobilissimos, ad similes honorum & facinorum volatus, excitasset; & diutiùs exercuisset. Sed inuida fatorum sors, summis negauit stare diu. Non fatiget tamen adeò vehementèr acerrimus dolor, filialia Vestra pectora; Illustrissimi & Magnifici Domini. Restat tanti mœroris leuamen, quod atroci Proserpinæ non cessit in spolium: Illustrissimi olim & Magnifici Domini, heroica virtus. Cuius simulacrum; tot viuis operum augustorum lineamentis; quot trophæis, Gentilitia Sagitta insculpsit & exarauit. Intaminata illa, inter mortis squallores rutilat: clariores radios spargit, etiam intra mortalis Sarcophagi caliginem. Viuit adhuc, Illustrissimus & Excellentissimus Dominus, quem Gentilitiæ Manus, per magna facinora, viuum Empyreo intulerunt: imò in Vobis Illustrissimi & Magnifici Domini æternis temporum interuallis viuet. In Vobis magnitudo illa, & tanti Herois ac Palatini, animi quædam summa gratia reuiuiscet. Hoc igitur lenimen mæstissimi pectoris, ab eo, qui Illustrissimi & Excellentissimi Domini Parentis Vestri, & Vestris, vnà cum Parente suo, beneficijs & gratijs obstrictus, etiam luget, accipite. Implete pro eo Orbis Sarmatici, desideria, gemini Tyndaridæ; mille solatijs, pro hoc dolore. Vos boni Superi Illustrissimo Parente orphanos, bonis omnibus cumulent atque impleant. Quod ego intimo pectore Voueo.

Illustrissimarum & Magnificarum Dominationum Vestrarum

Cliens deuinctissimus

FRANCISCVS CANTELLI,
Philosophiæ & Eloquentiæ in Vniuersitate Cracouiensi Auditor.

FELIX
SAGITTÆ DZIAŁYNSCYANÆ
IMPETVS.

DAte lachrymas, tristes Melpomene & Niobe!
Heraclitum nunc agere oportet.
Infausta mortalium faustitas,
nouos dolores ac singultus excitat.
Quæ crudelis;
cùm maximè securos suos Policrates facit, maximè timenda est.
In vita,
Vnus felicitatis pugillus, tot laborũ emptus medimnis;
in ipsa sui grata possessione, eripitur.
Honor ipse, Virtutis præmium, horror est.
Hinc illi,
qui strumam Dibapho contegunt,
miserè splendent:
quia altiùs elati lapsu grauiore ruunt.
Nempe:
magni sunt ex alto casus.
Satiùs autem itur per plana;
Lubrica in summo statio est.
Plurimis Tarpeium Saxum dignitas fuit;
etiam cautus allisus est ad has Cautes.
Heroicos animos, cùm nulla vis Vincere & Vincire potuerit;
Vicit & Vinciuit aureis catenis honor.
In quo purpurata mancipia
in apricum
ærumnarum, & mortis telis confodienda extolluntur.
Atque sic,
cui mendax boni alicuius sors,

primùm applodit, mox supplodit, demùm explodit.
Heu quàm periculosa in vitta vita!
In tot excubantium satellitum custodia,
seriùs detenti honoris vincti:
Multos timent, dùm eos multi timent.
Et quod rei cardo est,
ipsa illi
Mors grauis incubat, qui notus nimis omnibus est.
Currules, Solia, Mitræ, Sceptra, Diademata,
ferali taxo, ligonibusque atris à Proserpina æquantur.
Species Priami digna Imperio,
in ipsa Maiestate & Serenitate,
Cimmerijs tenebris inuoluitur.
Quæ sublimi feriunt sidera vertice;
ea mors virulentis suis iaculis sæuiùs prosternit.
At
obsistit hisce nefandis iaculis, Numinis portio virtus.
Sola hæc,
Mortales efficit immortales.
Et Tu,
extra iacula mortis, licet defunctus, positus es;
Magne Achilles Sarmatice:
Illustrißime olim & Excellentißime Domine,
D. MICHAEL DZIAŁYNSKI
Palatine Culmensis &c.
Gentilitiam Sagittam Tuam,
aculeis communis Prædatricis Tyrannidi opposuisti:
quia mortalis quidem, nihil mortale fecisti.
Quod olim Herculi, idem Tibi subscribimus;
In cunis iam Ioue dignus.
Pusio Gigantheum animum gestâsti.
Nouit Sagitta Tua
Plùs Vltra.
Suppleuit in puero, Virtus ætatem.
In qua,

In qua,
Pietatis tam pulchram Anthithesim iunxit;
vt virum in puero ferres, autumnũ in vere faceres, Meridiẽ in ortu creares,
seriem ipsam in exordio proponeres.
Factorum, Honorumqué cursum, præcurrit pietas.
Hinc;
Hastas Palladis benè noscens, Gentilitiæ Sagittæ quadrare:
Ephebus Phæbo dignus,
in Archiathenæo Cracouiensi, illi militâsti:
moram in studijs non traxisti.
Quem iam pulchris Indoles instruxêrat moribus;
Gloriosè cum pharetrato Apolline,
per Academi syluas spatiatus;
vt Gentilitium Telum, vltra auitam virtutem ferret.
In Regnum Liliorum transuolâsti,
in quo
tot Patriæ, Familiæq́ delicias,
Gentilitijs manibus, Lilia plenis carpsisti.
Vt meritò;
de Gentilitijs armis Tuis, illud occinendum fuerit:
Mauortia signa rubescunt
Floribus, & subitis animantur frondibus hastæ. Claud.
Iam verò,
ad exoticos Soles, genuinus Sarmaticæ Aquilæ pullus,
Sagittam suam,
ad suetam Illustrissimis Maioribus Metam fixit.
Non soli iam Parthi, Getæq́ Sagittis metuendi.
Non tam scitè Scythæ, mittunt iacula:
Quam aptè;
Działynsciorum Sagitta, tot in hostibus hæsit.
Ipsa autem, nunquàm meta fuit, nisi honorum:
quòdsi etiam hostium extitit; certè non sine illorum ictu.
Macedoni quondam prælianti,
Lucem obnubilent Sagittæ.
Działynsciorum Gentilitia vna;
tantæ Virtutis fuit:
vt Lunæ Odrisiæ, non semel lucem eripuerit.

Ab hac Sagitta;
Sarmaticæ Campaniæ Prædo & Hannibal, Regni nostri fucus,
Carolus Gustauus,
primum fel in Prussia gustauit.
Adeò Illa,
pro Deo, Regibus, & Legibus acuta;
vt nulli hostium scopuli, ipsi imperuij extiterint.
Prodiga, & verè animata Sagitta,
quæ proprij peculij motu, toties per hostium viscera volauit.
Nempè:
Ipsa sibi virtus præmium est.
Altiùs tamen,
tot laureis victricibus, in Sago redimita, euolauit;
dùm Senatoriæ Dignitatis Currules, attigisset.
Numera 38 ex hac Domo Palatinos,
Nicolaum de Koscielec, Palat. Inowłoclauiensem,
Nicolaum, Palatinum Pomeraniæ,
Ioannem, Palatinum Culmensem,
Gasparum, à Działyn, Działynski, Palat. & post Episcopũ Culmensem,
Et
inter Palatinorum, Castellanorum, Ensiferorum, Pocillatorum, Regni Centurias;
Illustrissimum & Excellentissimum Dominum
D. MICHAELEM DZIAŁYNSKI
admirare.
Omnium Pandoram egit.
Maiorum facta, proprijs adæquauit,
Areópagus Lechiæ, Lublinum & Petricouia,
Palatinatus Culmensis,
Publici Conuentus & Comitia,
Suum Cineam, Tullium, Patriæ Parentem, Catonemq́ Venerantur.
Quia nunquàm satis posteritati prædicandus est.
Inscribit tamen, adamantino charactere,
vel ipsa Metropolis Cracouia,
suæ Gentilitiæ Portæ;
sui Michaelis, perauguſtum Nomen.
Quia firmius rati sunt, stare eam Cracij Incolæ:
pro qua;
toties in Comitijs Generalibus, ipse Michael decertauit.

Vrbis

Vrbis huius, commodorum & immunitatum bases,
aliquantisper, aliquorum labefactare voluerunt impetus:
Stetit pro sua Troia, nouus Apollo.
Venit in adiutorium MICHAEL.
Gentilitijs manibus fulciuit.
Imò, vt melius fulciret:
Totius Augusti Palatinatûs sui manus,
in vnum congessit:
vt sic plures plura facerent, & fesso Atlanti, succederent Alcides.
Vtinam in posterum, huic Augusto Palatinatûs cœtui.
pares votis Lucina edat Palatinos.
Vtinam vos, Diuinum Numen, Inclyti Palatinatûs huius Ordines,
honoribus, felicitatibus, cumulatos, æternæ seruet posteritati,
vtinam magna, & toti nota Orbi Vestra Opera,
Cælesti Zodiaco inferantur
Hoc medullitùs effundit Votum,
Regiæ vrbis Filius.
Interim;
Basilicum MICHAELIS Nomen, capere intra angustias suas impotens silet.
Nempe:
Ilias hæc augustæ eius Familiæ, prudentiæ, dignitatis, heroicorum operum,
nucleo se non facilè credit.
Præclara enim eius Facinora,
Phosphorus, Mæotis, Volga, Tyras, Borysthenes, non ignorat.
sed quid de illis dici potest?
quæ Cælites Ipsos
Odrowazios, Prandotas, Vincentios, Kostulos,
Consanguineo nexu, attingunt.
Quid opus encomijs?
Hostes ipsi celebrant, Dzialynsciorum illustre Nomen.
Vnum Dzialynsciorum Iaculum,
toties Ioui Polono, contra mille Gigantes, pro fulmine fuit.
Nec modò Libitinæ impetu hebetatum crede.
Ictus mortis non horruit, quòd viuaci & immortali famâ,
Orbem impleuit.
Imo:
Nulla priùs Vasto labentur flumina Ponto,
Annus & inuersas, duxerit ante dies
quàm ad scopum immortalis gloriæ, desinet collimare.
Nec in *Illustrißimo* & *Excellentißimo* MICHAELE,

à præcelso conatu sisti illud dicere fas esto.
Sublimiùs enim tendere, cum spatium quodam modo deesset;
æternitatis amplissimum scopum, sibi quæsiuit.

Et quanquàm:

Mortalium nemo errauit ad sepulchrum.
hoc in passu Parcæ frustratæ sunt.
Nam nihil hìc Illustrissimi Palatini est, præter Heroicos Cineres;
quos, nè totus Patriæ abesset, in solatium reliquit.
vbi enim Michaël mansisset, nisi in Cælo?
Ab ipsa morte vitam inchòauit.
Non est illi maius solatium mortis, quàm ipsa mortalitas.
Vir enim bonus etiamsi moriatur, viuit.
Et boni moriuntur, vt viuant.
Quòdsi tamen Libitina Heroi nostro, quidquam nocuit,
certè iniuriam sibi fecit.
Siquidem, Herculeâ eius fortitudine, plures ex hostibus cæsis,
prædas habuisset.
Maiorem illum effecit prosternendo.
Nam Magni Heròës sunt, velut prostratæ Turres, maiores apparent in casu,
quàm dùm stetère.
Prodromâ igitur suâ Sagittâ;
capiat iam, incomparabilis Orbis Sarmatici Atlas, Regum delicium,
Senatorum vnio, Æthereàs Domos.
Et quidni capiat Cælum?
Ad quod tenendum, semper extensæ sursum Gentilitiæ Manus,
prominebant.
Imò carus Cæli Sponsus;
Gentilitio Annulo, iam pridem sibi Diuos desponsauit.
Cui;
vulnerata, eius absentiæ ergò, omnium Ordinum
Pectora;
Æternum in Beatorum Patria scopum,
apprecantur.







